choro, & locum in capitulo, ut moris est in eadem. Quibus omnibus, & dictæ permutationi canonici omnes supranominati dictæ Ecclesiæ ibidem, ut præmittitur existentes, & consistentes expresse eumdem Baldasarrum in suum, & dictæ Ecclesiæ verum canonicum, & confratrem pacis osculo interveniente receperunt penitus, & etiam admiserunt ad præbendam superius memoratam, præcipientes de prædictis supradicti Dominus Archidiaconus, & Abbas una cum prædictis Antonio, & Baldasarre per me Notarium confici debere publica duo instrumenta, & etiam plura, & tot, quot fuerint opportuna per consilium melioranda unius, & plurium sapientium.

Tenor vero litterarum supradicti Domini Archiepiscopi commissionem de qua supra fit mentio continentium, est ut infra. Frater Aycardus Dei, & Apostolicæ sedis gratia S. Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus dilecto in Christo religioso viro Patri Gilberto Abbati Monasterii S. Justinæ de Sezadio diœcesis Aquensis salutem in Domino. Cum translatio, seu mutatio personalis Ecclesiis, & personis Eccl. . . . . mentum nos consideratione habita hujusmodi attendentes, quod dilecti nobis in Christo Antonius natus Frederici Guaschi canonicus Ecclesiæ S. Mariæ de Bergolio Alexand. cujus ta. . . . . ad nostram collationem pleno jure spectare noscuntur, et Baldesarrus natus Albertini Guaschi Clericus beneficiatus Ecclesiæ S. Martini de Gambono plebatus plebis . . . . . rant, ut nobis ex parte sua significatum est beneficia, & loca, quæ obtinent in dictis Ecclesiis ex causis pro parte ipsorum nobis expositis justis, & rationabilibus invicem permutare utroque . . . utiliter exercere, quodque ex permutatione hujusmodi commoditas tam prædictis Ecclesiis, quam personis poterit provenire. Nequente tamen eidem permutationi perficiendæ una cum loco . . . . mitimus per hæc scripta, quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, quæ sunt in talibus attendendæ, si noveritis, quod sicut præmittitur utilitas tam prædictarum &c. . . . & nullum in his inveneritis obstare canonicum impedimentum, nullamque pravitatem intercedere, neque fraudem, super quibus vestram conscientiam oneramus una cum dicto loci diœcesano . . . . . ejusdem diœcesani auctoritate, si vobis ipse vices suas forsan commiserit in hac parte ad permutationem hujusmodi procedentes vice, & auctoritate nostra prædictorum canonicatus, & præben. . . . Antonio ex causa permutationis hujusmodi resignatione recepta eosdem canonicatum, præbendam, & locum dicto Baldasarro cum omnibus suis juribus, & pertinentiis conferatis . . . . . locum Ecclesiæ S. Mariæ de Borgolio prælibatæ recepta prius a dicto Baldesarro ex causa hujusmodi resignatione clericatus, seu beneficii, & loci, quem obtinet in dicta Ecclesia de Gam. . . . . suis juribus, & pertinentiis Antonio supradicto, & eodem translato ad ipsum clericatum, beneficium, & locum per dictum Baldasarrum, ut præmittitur resignata. Et demum recepto prius per vos ab eod. . . . . juramento de observandis statutis, & consuetudinibus ipsius Ecclesiæ, quodque ipse in eadem Ecclesia S. Mariæ, justo impedimento cessante cotidianum, & debitum impendet servitium in divini . . . . . siter residebit, & ibi morando continue, ut debet, comedet, & jacebit. Eundem per vos, vel per alium in ipsorum canonicatus, & præbendæ, ac loci ejusdem sanctæ Mariæ, omniumque suorum jurium . . . . . tuleritis, ipsumque transtuleritis ad ejusdem corporalem possessionem inducatis, & defendatis inductum. Volumus autem, quod non aliud, vel majus seu non plus juris alterutro dictorum An. . . . hujusmodi, seu ex collatione mutua, quæ de dictis beneficiis, & locis utrique ipsorum ex causa ipsius permutationis personarum earumdem facta fuerit acquiri in ipsis beneficiis, ac b. . . . . ad, & permutatus extiterit, quod in illis beneficiis, & locis, de quibus præterea per ipsorum utrumque resignatio facta fuerit ante resignationem hujusmodi nunc eorum alterutri competere dignoscatur. Dat. . . . . trecentesimo trigesimo sexto, indictione quarta, die secundo maii. Quibus quidem dicti Domini Archiepiscopi commissionis litteris appensum erat quoddam sigillum cum cordula alba ceræ rubeæ . . . . . cera communi. In quo sigillo scilicet in media parte sculpta erat imago cujusdam Pontificis sedentis super cathedram pontificalibus induti, & mitram in capite portantis . . . . . tenentis quoddam librum, in quo scripta erant hæc verba S Pax Christi, & ad pedes ipsius duos serpentes super quos tenebat pedes suos, a dextera autem parte dicti Pontificis sculpta im. . . . . scriptum erat super caput Scius Protascius, & a sinistra parte imago alterius sancti, cujus nomen scriptum erat super caput S. Gervasius, & circa caput dicti Pontificis scriptum erat, ut legi videbatur sanctus . . . . litteræ vero circumferentes dictum sigillum sic legi videbantur: S. F. Aycardi Dei & Apostolicæ sedis gratia S. Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopi. Ab alia vero parte dicti sigilli erat impressum quoddam sigillum parvum ceræ rubeæ formæ rotundæ, in quo sculpta erat imago B. Virginis Mariæ filium suum tenentis, litteræ vero circumferentes dictum sigillum, sic legi videbatur: secretum F. Aycardi de Camodia &c.

Ego perpetuus Bellescannus de Borgolio Alexandriæ publicus Imperiali auctoritate Notarius supradicti Domini Archidiaconi officialis, & scriba supradictæ permutationi, & contentis in ea, dum agerentur, præsens interfui una cum testibus suprascriptis, & ea sic, ut præmittitur fieri vidi, & rogatus hanc cartam tradidi, & in hanc publicam formam redegi, & scripsi, signoque meo solito signari in testimonium veritatis &c.

Investitura Castelleti de Aquis facta Johanni M. Montisferrati ab Ottobono Ep. El. & confir.

M C C C X L. 285

Anno Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCXL., indictione VIII., die I. augusti, Rev. in Christo Pater Dominus Ottobonus Dei gratia Aquensis Electus, & confirmatus considerans,